

05

A

1397





33

E N N E A S
Quæstionum illustrium
ETHICARUM
DE VIRTUTE
MORALI in genere.

Quam

Θεὸς εὐλογεῖν τῷ.

Præside

M. GEORGIO OBERLA,

Plavio-Voitlando, Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ in alma Leucorea Adjuncto:

Dominis suis Collegis placidè ventilandam exhibet

GEORGIUS VENATORIUS,
Uthin. Hollatus.

Horis locoq; solitis ad diem 24. Januar.

Ambrosius super Lucam.

Non virtus est, non posse peccare, sed nolle: atque ita te-
nere perseverantiam voluntatis, ut voluntas, infantiam:
usus imitetur naturam.

WITTEBERGÆ.

Typis Johanni Richteri, Anno M. DC. XVI.

Magnificis, Strenuis, Amplissimis, Nobilissimis, Consultissimisq; VIRIS

Dn.. Ægidio à Lanken,
Dn.. Georgio Stettin,
Dn.. Georgio Wapebusch, J.U.D.
Dn.. Johanni à Kappeln.

Reverendis. Illustris. & Sereniss. Principis ac Dn..

Dn.. Johannis Friderici Bremens.
& Lubecens. respectivè Archiepiscopi, Hæ-
red. Norvv. Ducis Schlesvv.
Holsatiæ &c.

*PRÆFECTIS ac CONSILIARIIS
meritissimis.*



Meccenatibus, Patronis, & Promotoribus suis
æternùm colendis Academicum hoc exerci-
tium in observantiæ & obsequii sempiterni
signum meritò consecrat & offert.

05 A 1397 **GEORGIUS VENATORIUS**

Respondens.

Præludium.



T quamvis Ethica Aristotelis in mentibus nostris non gignat illustrem divinæ naturæ & virtutis cognitionem; neque in nobis excitet pietatem, cultum & invocationem DEI; *quod nimis audacter scribit & asserit B. Keckerm. l. 1. præcog. Philos. c. 4. licet quoque Deus lucem Spiritus Sancti per duas illas disciplinas, Metaphysicam & Logicam in mentibus hominum non accendat: quod tamen idem satis hyperbolicè & ἀθεολόγως affirmare non dubitavit? l. 1. S. T. c. 4. p. 57.* Utilis tamen est Ethicæ cognitio, ut discamus amare, venerari & magnificare sententias morales, congruentes legi naturæ, ubicunq; extent & legantur, apud Poëtas, Historicos, Philosophos, quia sunt jus divinum & veritas Dei divinitus patefacta, *verbis B. Chemn. p. 2. L. C. c. 9. Quocirca SUBORDINENTUR principia Aristotelica principijs Theologicis: famulentur, non dominantur eis; agnoscant eorum imperium, non autem affectent in ea dominium, sic demum bellè cum heri ipsis conveniet. Ipsum hoc nos quoque observaturi, & in arenam exercitatio-*

num nos iterum cum Deo demissuri Virtutis mora-
 lis naturam hac vice producemus : at ὡς ἐν τύπῳ
 & populariter : Omnis enim de rebus agendis o-
 ratio populariter, non accuratè debet haberi 2.
Nicom. 2. *Suscipimus enim hanc πραγματείαν*
sanè non contemplationis causa : Spectamus non
 ut quid virtus sit intelligamus, sed ut boni effi-
 ciamur. *l.d. & 1. M.M.c.1.* Ad labores Ergò qui præ
 manibus sunt. *ADSIT J̄OVA DEUS.*

Quæstio I.

Quid sit virtus ?

NE † in ignota quasi sylva versemur, & æquivocatione vocabu-
 li fortean decipiamur, antequam quesito satisfaciamus, pluri-
 mum sanè juvabit distinctionem termini [VIRTUTIS] quippe qui
 non inter Synonyma, & unam rem exprimentia, sed inter ὁμόνομα &
 πολλαχῶς λεγόμενα locum reperit, ὡς ἐν περὶ ἡρακλέους γνῶσει
 enotare. Quare generaliter & in univèrsam vocula virtutis (cujus
 Etymon alij fusè explicant) tam de κτητικῆ, acquisita, quàm de non
 acquisita consuevit usurpari. De non acquisita usurpata tam ens in-
 creatum, quam creatum ambitu suo complectitur : alio tamen atq;
 alio modo de utroq; effertur, ut monstrabimus.

2. Enti † increato summo, & independenti per eminentiam,
 ὑπεροχὴν assignata, Deum justum, sapientem, clementem, mansue-
 tum &c. decantat, quæ tamen (quod notabis) nihil aliud sunt singula,
 quàm ipsissima Dei natura & essentia : in Deo siquidem nulla ac-
 cidentia merentur invenire locum. Enti verò creato & definito
 non nisi κατὰ μετέξωσ ἢ κατὰ ἀπὸδέξωσ, participationis & receptionis
 modum virtutis axioma assignatur : itidemq; vel naturalibus, inter-
 no quietis & motus principio gaudentibus, vel non naturalibus, puta
 angelis, qui ratione concreata suæ & primæve justitiæ, intelligentes,
 casti, sancti &c. salutantur.

Natu-

Naturalibus † rursus ratione gemina: vel enim principiis cor- 3.
porum naturalium: vel principiatis seu ipsi corpori naturali virtus
quædam attribuitur. Principiorum, puta materiæ & formæ virtu-
tem dicimus isthanc, quod illa (materia scilicet) formæ informationem
appetat: hæc (forma) materiam informare gestiat. Principiatorum
verò tum simplicium, tum compositorum, corruptibilium & in-
corruptibilium, animatorum & inanimatorum vim & instam quan-
dam δύναμιν, habitum, formam, & congruentem constitutionem vir-
tutis nomine insignire solent. Exempli gratia: virtutem oculi vo-
cat Philosophus, quando nervis illæsis, prout decet, munus exequitur
suum oculus 2. Eth. 6. Sic elocutionis perfectionem idem δεξιὴν
dicere non erubuit; Verùm hæc omnia parùm ad palatum & institu-
tum nostrum. (Vide Thomam 1. 2. e. q. 26. 2. & q. 55. 1. 2.) Propius ergò
ad istud.

Ad † hominem ergo relata virtus, quem propter tractata à Philo- 4.
sopho 1. Eth. 13. dupliciter rursus consideratur. a. Vel .n. virtus pecu-
liari Spiritus sancti munere hominibus à Deo infunditur, unde &
infusa appellatur; ut sunt Fides, Spes, Charitas, Vid. Thom. 1. 2. e. q. 55.
a. 4. Eamq; 1. Vel immediatè & extraordinariè Deus operatur, mi-
nuculoseq; & singulariter efficit in hominibus, ut in Prophetis, Apo-
stolis. 2. Vel ordinariè & mediate per verbum & sacramenta. & c.
β. Vel per naturæ bonitatem convenit quæ à Piccolom. herciscitur
in virtutem generis & singulorum. Illa nobilitas dicitur, quæ vel
est publica, gentis & urbis, unde una natio nobilitate alteri præfertur;
vel privata, quæ familiæ est. Hæc (singulorum) quemcumq; homi-
nem respicit: ut idemq; est vel corporis (ut robur, sanitas, pulchritu-
di,) vel animæ, in qua & φύσις bona indoles, propter quam alij alijs
sunt habiliores, virtutis nomine insignitur: quam ipsam tamen nota-
tionem hac vice, cum nihil ad institutum nostrum faciat, proscriptam
volumus. Hactenus de primo membro virtutis universaliter acceptæ.
Ad alterum.

Sunt † II. aliæ virtutes & quidem in homine quæ studio & la- 5.
bore ejusdem comparari volunt, quæque eatenus in hominis animo
extenduntur, quatenus extenditur ratio. Et hinc quia potentiis ani-
mæ α. vel sua natura ratio inest, ut facultati λογικῆ, quæ in ἴσχυρι
μονικῆν & λογιστικῆν disparti gaudet; β. vel suâ naturâ quidem non

competit, dum i. aut planè omne commercium cum ratione respuunt, ut Φυλική (quæ τρεπλικήν, καὶ γενήλικήν facultates sibi vendicat) 2. aut aliquo modo rationi se submitunt, ejusque redduntur participes, dum rationis imperium subeunt, & regimen ejusdem sustinent: ut ὀρεκλική, quæ res objectas aut prosequimur, aut fugimus: & θυμοειδὲς irascentem, καὶ ἴπιδυμηλικὴν concupiscentem potentiam continet: hinc igitur, virtus à Philosopho 1. Eth. c. 3. & 2. l. c. 1. in Διανοηλικήν, intellectualem, & ἠθικὴν moralem, dispescitur. Illam (intellectualem) Philosophus 6. Eth. Nicom. explicat: Hanc Moralem, l. 2. Eth. Nicom. incipit evolvere. Capis didlorum τῶ ο- τῶ π ω σ ι ν.

Vide Signum. * *

Nostrum in theatrum hac vice vocamus solùm moralem, cujus definitionē (ut quæsito satisfiat) ex Philosopho primùm adferemus: post paucissimam, quæ ad ejus illustrationem facere videbuntur adnectemus; plura vero desiderantem remittimus ad libellos Ethicos, quorum hodie numerus est innumerus, qui suppeditabunt plus satis.


6. Ecce † ergò; δευτὴ ἴσιν ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι ἔστω τῆ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένῳ λόγῳ ὅς ἂν φρονήσῃ. ὀρίσκει: h. e. Virtus est habitus animi electivus, in mediocritate, quæ ad nos refertur, consistens, quæque recta prudentiæ ratione definita est. 2. Eth. 6. Legitimam hanc definitionem esse, ex ejus anatomia percipies.

7. Habitus † est virtus: E. ex actionibus est & propter actiones. Ex actionibus. Ex earum enim crebritate, aut ex paucis bene validis habitus creatur; sicut cavitas in lapide, vel à multis guttis vel à re solida paucis ictibus. Scalig. Exer. 307. sect. 4. Propter actiones. Nam habitus propter actum, scilicet consequentes. Fonseca lib. 9. Metaph. cap. 5. qu. 4. sect. 4. Et propter actus similes. Habitus enim non sunt productivi, nisi actuum similium, à quibus sunt producti aut aucti. Id. l. d. f. 3.

8. Et † hinc fluxit divisio in actiones habitum antecedentes & consequentes. Alias dispescunt actiones in interiores & exteriores. Hæ presupponunt illas, v. g. qui dat egeno, prius intus commoveatur necesse est. Sed ne actionum varietate, quæ in specialibus recurret sæpè virtutibus, turbemur: Euge, delibemus ista, quæ ante Scaligerum à Philosopho nullo, sicut ipse ait.

Nam

*** Virtus generaliter considerata est vel



9. Nam † & actio est cum agimus, & cum facimus, & cum patimur, quod admirabilius est, & quod maximè mirū, & cum agere nolumus Scal. de plant. p. 65. 66. Et quā duo priora quidem, res sanè expedita: alterum enim eorum (ut agere) quasdam virtutes respicit (v.g. cum damus) alterum (facere) artes. Duorum verò posteriorum natura & lex, ita est, ut alterum constituat fortitudinem, alterum temperantiam. Qui enim fortiter tolerat, incommoda pro patria patitur: Ea passio *ὑπόξις* quadam est, alioquin non esset virtus, aut virtutis. Cum verò abstinemus ab actione jussu recte rationis, tunc ea est actio, qua constituitur temperantia. Hoc enim agimus, quod non agimus. Qui potest, dicat aliquis? Quid mirū sapientibus? constituitur enim animus in ea statione studiosa, cum à flagitioso cursu inbibetur. Ita in fortitudine firmatur ad patiendum. Hæc Scaliger l. d.

10. Porro † quia virtus ex actionibus est; potentiā prius eam dari subsumo. Actio enim à potentia fluit, atq; idcirco posita, ponit illam. Scalig. de plant. pag. 27. & cui potentia negatur, eidem & actiones & habitus negantur. Itaq; in bruto pecore habitus morales nulli Scalig. Exerc. 250. sect. 1. Rursum quia ex actionibus, natura non inest, vid. 2. Eth. 1. Habitus enim qualitas acquisita, & in animum quasi impacta. Scalig. Exerc. 307. sect. 27. Quando igitur naturā bonum aut honestum aliquem dicimus, non sequitur, ut is simpliciter etiam sit bonus. Schegk. in thesauro suo Philosophico, hoc est, comment. in Top. Arist. pag. 311. Non enim simpliciter, sed secundum quid natura bonus aliquis dicitur, quia videlicet bonitatis & virtutis hab. tu facile possit informari. Idem ibid. Repete quæ supra in equivocat. vocabuli notata. Capis summam dictorum: Virtus est habitus. E. acquiritur. E. ex actionibus. E. potentiā. E. natura & Dbus, unde potentia.

11. Absolvamus, † quæ restant in definitione paucis. Virtus est habitus Electivus. Ergo in brutis ea non datur. Vis enim electionis in solo homine est Scalig. d. c. l. l. cap. 114. & junctam habet consultationem Piccolom. gr. 2. cap. 28. Nam nugati sunt quidam historici naturales potius quàm philosophi: Canes quoque deliberare, cum feræ vestigiis absistunt à persequendo, atque aliorum sedant. Neque enim componunt hæc; Hæc non iuit; sed ut agun-

aguntur in ordinem, ita eum, ubi amiserit, quærere instituunt. Scal. *ibid.* vid. Thom. 1. 2. q. 13. art. 2. & qu. 40. art. 2. Est autem præelectio actionis honestæ, veluti Spiritus Piccol. gr. 4. c. 5. Ex hac enim de actionibus voluntarijs, mixtis, invitis & c. ferendum iudicium. Sed hac de re alibi. Interim progrediamur.

Virtus † est habitus electivus in mediocritate, quæ ad nos 12. refertur. Brevissimis cape sic omnia. Medium duplex. Rei, & personæ: illud Arithmeticum, hoc Geometricum audit. Ethici passim. Rei medium est, quod æquè distat ab utroque extremo. Sic 9. medius inter 6. & 12. dicitur; tribus enim unitatibus ab utroque distat. Personæ medium est, in quo servatur eadem ratio majoris termini ad medium, & medijs ad extremum; Sic 6. medius est inter 4. & 9. sicut enim senarius continet quaternarium in se semel integrè & adhuc ejusdem quaternarij dimidium, sic novenarius continet senarium semel, ejusdemque senarij dimidium, ternarium & c. Vid. Riccob. Et hoc medium Geometricum, sive personæ, sive quoad nos virtus observat. Estque illud ratione circumstantiarum variabile: adeò ut ipsa virtus variabilis sit; non in quantum habitus est, sed prout hoc loco, hoc tempore, erga hunc vel illum exercenda. In qua variatione mediocritatis norma est prudentia & recta ratio. Et hac de definitione ista breviter; sed tamen pro instituto nostro sufficienter: Unde in promptu erit colligere, eam omnibus suis partibus & numeris à Philosopho ita fuisse absolutam, ut nil in ea desiderari queat. Reliqua, quæ huc spectant, petantur ex alijs. Nos enim brevibus in Lycéo jussi sumus ambulare spacijs. Quare in sequentibus dabimus nos breviores.

Quæstio II.

An mores sequantur temperamentum.

Medicorum † nonnullorum effatum est: Mores animi sequi 1. temperamentum corporis. Effatum hoc suis non destituitur Patronis, & invenit olim in primis summum illum Galenum, qui pro ejusdem adsertione simplici librum peculiarem conscribere non dubitavit, in quo sanè, quod ad illud stabiliendum facere posse videtur, nihil prætermisit.

B

Et

2. Et † videtur quoque sententia ista suis minimè carere futuris, constructis tum ex ingenii humani varietate, quod pro ratione caliditatis, siccitatis &c. in homine variat: tum ex morum in homine diversitate, qui pro varietate temperamenti variari videntur: tum ex autoritate Philosophi, qui 7. de Rep. Græcos cum Asiaticis & Europæis conferens, nationum loco distantium varios esse per naturam mores affirmat; & Platonis locorum differentias plurimum generationi hominum vel meliorum vel deteriorum conducere, in Timæo & 5. de LL. ostendentis.
3. Sunt † contra qui sententiam hanc simpliciter & absolute acceptam, repudiant: 1. Propterea quod mores dicantur inde, quia more & assuetudine comparentur; non vero quod necessariò temperamentum sequantur. 2. Quod aliàs libertas voluntatis mutaretur in servitutem, cui temperamentum imperaret. Contrarium hucusq; in Peripato evictum Schegk. in Top. p 106. 198. 3. Quod aliàs affectus nunquam emendari possent. ἀτοπον.
4. Quod † si nos distinctionis limam adhibuerimus, quid utriusq; partis opinioni subsit veritatis, fiet planissimum. Quocirca distinguimus, inter ea quæ sequuntur temperamentum, quæ duplicis deprehenduntur esse conditionis. Quædam enim necessariò illud consequuntur, ita quidem, ut emendari nullo queant modo: ut sunt: Sapores, odores, calores &c. Quædam verò non necessariò; ut sunt affectus & mores. 2. Distinguimus inter facilitatem & propensionem ad varios mores: & inter habitum duce natura, mediante doctrina & exercitatione acquisitum. Mores & affectus temperamentum sequi qua prius concesserim: non vero quæ posteriori, ubi assuetudine comparari volunt. Concludat illud Scal. qui, Exerc. 274. si mores, ait, à temperamento ducere conaberis, facile objectionum multitudine obrueris. Tibi conceditur id, iracundiæ fomenta esse à calore: & alia fortasse quædam: non tamen iracundiæ habitum ab eo fieri in anima naturalem, &c. Sed vid. Piccol. gr. 1. c. 28. 29. 30. Pergundum.

Quæstio III.

An virtus Moralis recipiat Magis?

Negant

NEgant † alii: alii affirmant. Illi exinde. 1. quod quaelibet virtus perfecta sit, immò ipsa perfectio ex 1. Nicom. 13. & 2. c. 6. l. 4. c. 3. dilucidius 7. Phys. 3. 4. 17. Perfecto autem nihil addi, nihil demi posse. Ex. 7. Phys. §. 18. lib. de cælo §. 12. 5. Metaph. §. 21. 1. Eth. 7. 8. Quæ enim justam magnitudinem explevere, nequeunt extolli, Sen. Epist. 79. Ergo virtus non major, non minor, sed staturæ semper unius sit oportet. Ex Sen. ep. 71.

2. Quia virtus recta; finitur enim habitus cum recta ratione conjunctus 6. Nicom. 3. Recto verò nil rectius; alioquin non esset rectum Sen. ep. 66. Sicut enim regulam, qua rectum probatur, si flectas, quicquid ex illa mutaveris, injuria recti est: Sic virtus recta linea est, quorsum flexeris, augendo vel detrahendo nocebit.

3. Quia virtus est mediocritas 2. Eth. 6. Ergo non major, non minor, quia semper est ejusdem mensuræ.

Qui † affirmant, inde probant, 1. quia acquiritur virtus per assuefactionem honestarumq; actionum exercitationem. Phil. Melanch. in epit. Philos. Mor. p. 31. Arist. 2. Nicom. 1. Scal. Ex. 307. f. 4. Quò igitur major, vel minor assuefactio, honestarumq; actionum exercitatio, eò magis, vel minus habitus virtutis moralis comparatur. 2. Honor est præmium virtutis. Atqui non omnes boni viri æquè digni honore censentur. Ergo nec virtus omnibus equaliter inest. 3. Delectationem constituit Mystagogus noster signum habitus contractæ virtutis. 2. Nicom. 3. Delectatio verò non æqualiter omnibus inest: hic enim magis ille minus actionibus honestis delectatur. E. & c.

Sed † componamus has quoq; disidentes partes adhibito distinctionum fœdere. Consideratur enim virtus vel in se ratione essentiali, vel prout in homine apta nata est recipi: vel (quod idem est) virtutis perfectio alia essentialis, alia accidentalis est. Priori modo non recipit magis & minus: quod negantium argumenta innuunt; unicujusq; enim rei essentia est certa & definita, & se habet instar numeri, cui sine variatione speciei nihil detrahi vel addi potest. Ex 8. Metaph. 3. & Porphyr. 2. de differ. Esse est unicuiq; unum & idem, & neq; intensiōe, neq; remissiōe recipere. Posteriori verò modo recipit, per gradus enim ob actionum aliarumq; circumstantiarum varietatem acquiritur, unde non solum unum hominem altero, sed etiam unum eundemq; hominem se ipso, alio atq; alio tempore considerato virtuosorem esse docet experientia Piccol. gr. 5. c. 45. Sufficit: ad alia.

Quæstio IV.

An omnia vitia sint paria.

1. Stoicorum † hoc olim paradoxon erat, referente Tullio 3. parad. & pro Muræna. Laërtio item in Zenone: Seneca item epist. 65. 66. ex illo, quod vitia sint privatio, prout scil. recedunt à ratione. Privationem autem non suscipere magis & minus.
2. Cui, † priusquam quid reponamus, illud tantum pensi habendum volumus, utrum non ipse Salvator huic paradoxo contradicat? trutinentur loca Johan. 19. §. II. Luc. 10. §. 14. cap. 12. §. 47. M. 10. §. 15. c. 12. §. 31. cap. 23. §. 14. Sapient. 6. §. 7. Conferantur Exod. 22. §. 1. seqq. Gen. 9. §. 6.
3. Et † si parricidium nihil planè differt à promiscua cade, cur quæso majori pœnâ illud punitur? V. l. 9. ff. d. lege Pompej. de parricid. immò sublato peccatorum discrimine, tantum abest, ut homines arceantur ab impietate, ut etiam in ea multò magis confirmetur: & non sic parem desperationis materiã habebunt, qui semel tantum carnis illecebris, quasi tempestate quadam abrepti, in peccatum consenserunt, cum illis, qui perpetua peccati mancipia fuerunt, membra sua tradentes arma injustitiæ Rom. 6. §. 13. ? Lateant multa videlicet obceptorum, principiorum & c. diversitas. Vid. Mentz. tom. 2. diss. Marp. p. 149.
4. Stoicorum † ergo ut evertamus fulcimentum, duplex privationis genus dari ex Thoma 1. 2. qu. 73. a. 2. demonstrabimus. Est enim quædam simplex & pura privatio, quæ ceu è τὸ corruptum esse, consistit, quo pacto mors est privatio vitæ, tenebræ privatio luminis. Et hæc minimè suscipit magis & minus, quia nil relinquit de habitu opposito, v. gratia, non minus mortuus est aliquis primo die mortis, vel tertio vel quarto, quàm post annum, quando jam cadaver resolutum. Et similiter non est magis tenebrosa domus, si lucerna sit operta pluribus velaminibus, quàm si sit operta unico velamine, quod totum lumen intercludit. Contra vero est alia quædam privatio non simplex; quam mixtam liceat salutare, quæ adhuc aliquid retinet de habitu opposito: & magis consistit in corrumpi, quàm in corruptum esse: Sicut egritudo, quæ privat corpus debita humo-

humorum commensuratione, ita tamen, ut aliquid ejus relinquat: alioquin nō remaneret animal vivū. Similiter cum turpitudine & aliis hujusmodi vitiis comparatum est. Et tales privationes recipere magis & minus concesserim, cum modò plus, modo minus de habitu contrario relinquunt. Sic morbus modò magis modò minus à commensuratione humorum recedit. Et quia talis privatio vitium est (si modò privatio, nec potius virtutis contrarium erit dicendum) aliquando de ordine rationis plus, aliquando minus retinet. Unde sanè multum interest ad gravitatem peccati, utrum plus vel minus recedat à rectitudine rationis.

Hinc † rectè quidam ex Theologis: Nullum, inquit, peccatum imperfectum est, cum omne peccatum sit perfecta ἀνομία, licet perfectionis hujus sint gradus. Ad formam peccati, ait Tilenius in Syntagm. disp. p. 48. pertinent circumstantiæ; ex quarum neglectu, sicut à rationis legisque linea longius receditur, ita & peccati deformitas augetur &c. v. g. ratione personæ peccantis: ratione objecti (lege 1. Sam. 2. § 25. Heb. 10. § 26.) ratione principiorum unde fluit: ratione loci (ut Absolon coram Sole &c. concumbens) ratione materiæ. Gubernator unus navem paleis, alter auro onustam obruit: par sanè utriusque imperitia, grande tamen culpæ momentum materia addit, quam subvertit. Cic. 3. Paradox: &c.

Quæstio V.

Anne ergo Ethici sit agere de vitijs.

ET † hic dissentientes offendere licet partes. Qui negant, vitiorum tractationem vel propterea in Ethicis esse heterogeneam, clamitant quod virtus in iis sit homogeneum. 2. quod item ex virtutis cognitione facilè quid de vitio polliceri nobis debeamus, colligere liceat. Rectum enim judex sui & obliqui. 3. quod tractatio sit rerum positivarum, non privatarum, 4. quod vitium aliàs aversemur & fugiamus, & proinde illud non discamus. Ergò neq; de eo informandi &c. & quæ his sunt similia alia.

Affirmativæ † qui favent, hæc colligunt cohortes. 1. quod vitia sint habitus. Habituum autem tractatio Ethici. 2. quod contra-

B 3

riorum.

riorum eadem scientia. 3. Quod virtus constat in medio, ergo extrema addenda, quæ sine virtutis cognitio manca, confusa &c. 4. Quod vitia sæpe propinentur sub specie virtutis. Ergò Schema adulterinum ipsis detrahendum, ut appareat nativa facies. 5. Quod contraria juxta se posita magis elucescant. 3. Rhet. 2. &c.

3. Quibus † quidem non morosi subscribimus: interim tamen ut expeditiorem demus questionis decisionem, simul & quid neganti parti reponendum sit, summam aperiamus: notabis

2. Quod vitia ab Ethico tractentur non *νεπωσ* & primario, sed *δε νεπωσ* secundario, & propter aliud in relatione videlicet ad media. Sic Medicus agit de morbo, non quidem quia morbus, sed quia curandus est. Sic Logica de fallacijs, non quidem quatenus sunt destruenda, & ad fallendum alios preparanda; sed quatenus destruenda, & detegenda: & hoc pacto idem officium præstant fallaciæ Logico, quod aurifabro Lydus lapis. Idem iudicium de vitiorum doctrina: de quib. Ethicus agit non quatenus vitia sunt, sed quatenus per virtutem sunt tollenda.

4. 2. Quod † vitiorum doctrina Ethico non sit essentialis: licet multum necessaria. 3. Vitium in arte non esse homogeneum scilicet quatenus est vitium: esse tamen homogeneum, in relatione, i. ad virtutem, cui opponitur & cuius speciem simulat: Ovidius 1. de rem. am.

*Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpè tulit.*

2. Ad remedium, quo pellitur. Ex dictis.

3. 4. Distinguendū † inter cognitionem confusam & distinctam. Confusè contrariorum uno cognito, alterum quoque cognoscitur, sed non distinctè, & sicut in Mathematicis qui scit, quid sit linea recta, idem etiam novit, quid sit curva: in Physicis qui scit, quid sit calidum, novit quid sit frigidum: In Medicina: qui scit, quid sit sanitas, idem novit quid sit morbus: ita quoque in Ethicis, qui scit, quid sit virtus, idem novit, quid sit vitium. Singula verò confusè solum. Ergo pro distincta cognitione peculiariter & de lineis curvis, & de frigido, & de morbo, & de vitio absq. omni è re egrege: labe agatur.

6. 5. Distinguendum † adhuc inter falsum quatenus falsum, inter contrarium ut contrarium, inter curvum ut curvum: & quatenus illud includit veri & recti speciem. Illud ex generali & confusa
cogni-

cognitione à vero & recto qualitercunque distingui posse largior: at si sub specie veri & recti proponatur, generalis illa & confusa cognitio nequaquam sufficiet, sed requireretur accuratior adhuc ipsius falsitatis & curvi cognitio, cujus beneficio à vero & recto, quod præ se ferre videtur, distinguatur. Et quia eodem modo vitia sub schemate adulterino, specie videl. virtutis, irrepere non rarò solent: quis neget amplius Ethnicum in ejusdem delineatione occupatum esse debere? Medicus ex cognita pinguedinis natura facile tumorem & pinguedinem distinguere potest; si tumor ita sit constitutus, ut omnium oculos & sensus feriat: Sin verò nativæ pinguedinis habitum referat, peculiari indiget pro hac dijudicatione instructione: Res h.l. eodem modo se habet &c. Quæ si rectè considerentur & applicentur, illis negantium fundamenta facile exerti posse confidimus. Progredimur ad aliam questionem.

Quæstio VI.

An virtutes Ethnicorum in se consideratæ sint peccata?

A Summo † bono, à quo nil nisi bonum, virtuosas quoque actiones fluere, illudq; causam illarum existere, probant multi multis i. quidem ex virtutum seminibus, discrimine scilicet honestorum & turpium, nature implantatis. Rom. 2. §. 15. 2. Exinde quod per Moysen Exod. 20. & ordinarium Magistratum pro vite informatione II. condit: 3. quod vitijis pœnam minetur, ex Deut. 27. §. 27. I. Corint. 6. §. 9. Rom. 13. §. 4. 4. Exemplis nos invitet ex M. II. §. 9. Luc. 6. Johan. 13. §. 14. 5. Virtutes in brutis depictas nobis ad æmulandum proponat ex Esa. I. §. 3. Matth. 6. §. 26. Prover. 6. §. 6. & alibi. 6. quod bonas actiones promoveat, ad eas homines instiget. Ex Jud. 13. §. 25. 15. §. 14. & alijs.

Quæ † si quis penitus perpendat, eum subito judicium de gentiliis virtutibus expetere facile crediderim.

Cui † quesito & petito, ut satisfiat, rem in pauca contrahendo, dicimus: Ethnicorum virtutes duplici modo considerari posse. 1. In se, & per se, ut actiones & virtutes, sive formaliter, vel quod idem, in abstracto, seu quidditative pro ut sunt recte rationi, & sic etiam ex parte legi Dei conformes. 2. Ratione subjecti, quatenus in-

Priori

4. *Priori modo Deo eas exosas fuisse, non dixerim, cum uti dictum, legi Dei consonæ fuerint: Nihil autem odit Deus eorum, quæ fecit, &c. & ἀνομία σὺν ἀμαρτία προclamatur 1. Job. 3. S. 4. Scitè Ambrosius lib. 2. super Lucam c. 3. Ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis. Et August. l. 14. de civ. Dei. c. 26. Deum vocat omnium voluntatum bonarum adiutorem. Notentur Tullij verba (de univ.) Nisi, juvante Deo, tales non fuerunt, Curius, Fabricius, Coruncanus, reliquique viri fortes: & Seneca lib. 5. epist. 41. Sine Deo Vir bonus nemo est. At posteriori modo, quatenus nimirum à persona non renata perficiebantur, κατὰ συμβεβηκός Deo displicebant, quo pacto olim in Vet. Test. sacrificia, quæ quidem per se bona erant, immò à Deo mandata & instituta, nihilominus ab infidelibus oblata, Deo exosa fiebant. Ex Es. 66. S. 3. Quo sensu accipe illud Prosperii; Sine cultu Dei veri, illud quod virtus videtur, peccatum fit. Et hoc Anselmi. l. de voc. gent. Omnis vita infidelium peccatum est, itemq; hoc Augustini ad Bonifac. l. 3. cap. 10. Sine fide etiam, quæ videntur bona opera, in peccatum vertuntur.*

5. *Alij virtutes gentilium considerant νομικῶς: & βλασηλικῶς: illo modo opus rectum, hoc Deo gratum & acceptum eas definiunt. Illò actionem secundum præscriptum legis; hoc gratam propter fidem in Christum: illò ab Ethnicorum virtutibus Deum non abhorruisse dicunt; at hoc.*

*Omne etenim pietatis opus, nisi semine veri,
Exoritur fidei peccatum est, inq; reatum,
Vertitur & sterilis cumulat sibi gloria poenam.*
Vid. Gesner. disp. 7. pro lib. Concordie: & sic privativè, non etiam positivè bona opera incredulorum displicent Deo. J. Schegkiius in l. 2. Top. p. 176. Vid. Luth. tom. 8. f. 174. Aug. l. 4. ad Julian. c. 3. & l. 5. c. 15.

6. *Perpendantur sequentia Bellovisij verba (tract. 2. c. 126.) Quædam actiones sunt à Spiritu sancto, sed non cum Spiritu sancto, ut virtutes & dona in impiis; quædam sunt à Spiritu sancto, & cum Spiritu sancto, ut fides & opera bona in credentibus; quædam sunt cum Spiritu sancto, sed non à Spiritu sancto, ut peccata venialia.*

nialia in renatis; quædam sunt nec à Spiritu Sancto, nec cum Spiritu sancto, ut peccata mortalia.

Obiicis. † Sine fide tamen impossibile est placere Deo, Heb. 7. 11. v. 6. Ergo neque Ethnicorum actiones, quippe quæ sine fide facta, potuerunt Deo placere?

In promptu † est quod respondeamus; distinguimus enim 8. inter Dei complacentiam generalem, & specialem seu singularem illam *χρηστότητα & ἰδοτικότητα*, qua Deus electos & eorum studia complectitur. Illâ licet Ethnicorum virtutes profecutus fuerit: hac tamen non item; ex dictis, & Theolog. Scholis. Clarius: Quamvis impossibile sit, sine fide speciali & gratiosa, Dei favore & amore frui: nihil tamen obstat, quò minus Deus generali suo amore aliquid complectatur, si legi naturæ & rectæ rationi illud fuerit consentaneum.

Placet † B. Rungij distinctio, eaque talis: In hominibus non 9. renatis duo sunt cõsideranda, quædã iis insunt, quatenus sunt homines, quæ neq; ex fide neq; ex incredulitate, sed ex natura propriè fieri dicuntur: *qualia sunt, opera naturæ peragere, naturalia contẽplari, politicam societatem adjuvare, ad cognitionem Dei aspirare: de his, (in quorum censum etiã referendæ sunt eorũ virtutes,) non potest dici, quod sint peccata, cum etiam in renatis locum inveniunt.* Quædam verò iis competunt, quatenus sunt non renati, ut ignorare Christi personam, ejusq; meritum, & beneficia; loco veri Dei idolum aliquod colere, &c. Et hæc referenda veniunt inter opera carnis, & ea quæ non ex fide sunt.

Quæ † cum ita sese habeant, ulterius iudicium ferre non difficile 10. erit, de illorum sententia, qui ob virtutum harum specimina gentiles in coelum evehere non erubuerunt, quod Cinglius Sacramentaria *σεβὰ ἐγενήτων* fecit, cum ad Gallie Regem scripsit: Visurus es istic, in vita æterna, Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones: qua de sententia B. Lutherus: **Das Zwingel damit ganz vnd gar zum Heyden worden.**

Nec † tamen (quod mireris) profana isthæc opinatio authoribus 11. suis destituta deprehenditur. Sed quid miramur, cum vix sint picturæ, quæ non inveniunt amasios suos, veluti pupæ improvidas æ-

C

tates,

tates, dicente *Scal. Exerc. 325. f. 6.* ? Dic nysius quoque suos habebat *κόλανας*, qui ipsius sputa lingeant. Sanè *Heinricus Bullingerus*, *Cinglij affinis*, scriptum istud *Cinglij*, (cui titulus est: *Expositio fidei ad Christianum Regem*) in quo pretiosa ista (scilicet) *margarita continetur*, *Cygnæam Cinglij* vocem appellitare non erubuit. Quem subsequuntur *Simlerus*, *Lavaterus*; *Thammerus*, *Latomus*, *Lovaniensis*, *Andradus* & *Gener Cinglij*, *Rodolphus*, *Gualtberus*, qui operosa apologia socii sui opinionem incrassare & tutari conatus fuit. Anno 1545. Neque suum calculum his denegare velle videtur *Keckerin*. in *System. Eth. p. 10.* quid? quod etiam *Erasmus Roterodamus* hoc veneno deprehendatur fuisse infectus: Sic enim (in *Dialog. de convivio religioso*) scribit: Proinde, cum hujusmodi quædam lego de talibus viris, vix mihi tempero quin dicam: Sancte *Socrates*, ora pro nobis. Et iterum: ac ipsi mihi sæpè numero non tempero, quin bene ominer sanctæ animæ *Maronis* & *Flaccii*.

12. Quæ in parte suum quoque *Ἐπιείκειον μέγ* (ne scilicet defectus aliquis insipientium animadvertatur) conferunt *Esauitæ*. *Ethnicos* n. etiam extra Christum sufficiens auxilium habuisse ad salutem, scribere nō exhorruit os illud omniū *Esauitarum* *Bellarmin.* l. 2. de *grat. & liber. arbitr. c. 8.* Et *Salmeron tom. 15. p. 41.* Opera quæ prodeunt in lumine naturæ sine ulla fide, à longè & remotè ad justificationem disponere contendit. Concinit *Bellarmin. lib. 5. de Justif. cap. 22.* Immo qui Christi cognitionem non habuerunt, modò honestè vixissent, salvatos esse, *Monachus quidam Franciscanus in Concil. Trid. publicè pro concione in explic. 2. c. ad Rom. asseruit. Sleidan. l. 23. Confer. Fr. Puccij Filidini libell. anno 92. editus.* Sic *Catharinus*, *Papisticus auctor sat notus*, qui *Concilio Tridentino interfuit*, in *comm. in 1. Tim. 4.* ait: quosdam non fideles posse servari, quod perinde est ac si diceret, quosdam servari posse, qui Deum, qui Christum nesciunt.

13. Bellè *περατολογία* ista conveniunt cum *Mahometistarum Alcorano*, cujus *azoran* secunda talis est: Sciendum autem generaliter, quoniam omnis rectè vivens, *Judæus* seu *Christianus*, seu lege relicta, in aliam tendens, omnis scil. Deum adorans, bonique gestorum in dubitanter divinum amorem assequetur. &c. (*Leg. Rev. Dn. D. Franz. diss. publica nupera de quæst. Utrum & quomodo*

modo homines ad veram religionem sint cogendi à Th. 5. ad 36.
ferè.)

Sed † vide queso mihi istos coelites, qui supra duo millia an- 14.
norum in inferno ustulati sunt. Sagen nun (ait B. Luth.) wer
ein Christen sein wil / was darff man der Tauff / Sacra-
ment / Christus / des Evangelij / oder der Propheten /
vnd heiligen Schrift / wann solche Gottlose Heyden /
Socrates / Aristides / ja der gewliche Tuma / der zu
Rom alle Abgötterey erst gestiftet hat / durchs Teufe-
fels Offenbarung / wie S. Augustinus de C. D. schreibt :
Vnd Scipio der Epicurus / selig vnd heilig sind mit den
Patriarchen / Propheten / vnd Aposteln / so sie doch
nichts von Gott / Schrift / Evangelio / Christo /
Tauff / Sacrament oder Christlichen Glauben gewußt
haben : &c. Perpendantur loca Matth. 16. v. 17. Roman. 16. v. 25.
1. Cor. 2. v. 21. Johan. 3. v. 15. 18. 36. &c. c. 17. v. 3. Act. 4. v. 12. Roman. 3.
v. 22. seqq. Gal. 2. v. 16. c. 3. v. 22. Rom 8. v. 3. c. 14. v. 23. 1. Cor. 5. v. 12.
Ephes. 2. v. 12. Heb. 11. v. 6. Luc. 12. v. 48. &c. Legatur quoq; Lutherus
lo. d. à. f. 174. ex quo verba modò adposita deprompta, & ejusd. Confess.
Major. Chemnitius in Exam. Concil. Trid. 6. sess. can. 1. & 7. Wigan-
dus l. de Sacramentarijsmo p. 32. & consultatio Cassandri pag. 42. Da-
masc. lib. 3. O. F. c. 4. &c. Nobis cum non liceat hic diutius stare, prope-
rimus ad V II. questionem, quæ talis.

Quæstio VI.

*An liceat mala facere, ut inde eveniant
bona?*

Negativam † suadet Apostolus Rom. 3. v. 8. non facienda mala 1.
esse, ut inde eveniant bona præcipiens : Suadet eandem sana
ratio, quæ ad finem bonum & honestum per media licita & honesta,
non a turpia tendere jubet. Mala n. antecedentia ex bono finali salvari
nequeunt. Non tantùm debent bona fieri, sed etiam debent benè
fieri, dicebat olim Augustinus. Multa quidem sunt bona, sed non
benè facientibus iis, à quibus fiunt, perduntur, vid. Scal. Exer. 307.
f. 27.

C 2

Saul

2. Saul † sanè bona intentione *Amalecitarum spolia ad mandatum sacrificiorum usum reservabat: nihilominus tamen ob singularis mandati circumstantiam id omninò peccati rationem nactum fuisse, videre est 1. Sam. 15. v. 23. Melius agebat Eleazar, qui in gratiam Maccabeorum carnem suillam non modò edere nolebat, sed ne quidem illarum esum, monitus licet & rogatus ab amicis, simulare 2. Maccab. 6. à. v. 18.*

3. Et † quale quæso esset furtum, eleemosynæ causa admissum, sicuti habet ligenda de Francisco, quod noctu sit furatus corium, indeque per diem confectos calceos postmodum in pauperes distribuerit?

4. Bona † intentione Scribæ & Pharisei concesserant, in templo Hierosolymitano vendi pecudes ad holocausta maculandas: nihilominus tamen illud factò ipso improbavit Salvator Luc. 19.

5. Valeat † ergo Calvinus qui in instruct. adv. Libert. c. 14. & class. 1. L. C. c. 10. p. 6. scribere non veritus fuit: Idem opus ideò impio peccatum, Deo verò non esse, quod impius avaritiâ, invidiâ, crudelitate incitetur ad facinus suum, & ex hac animi affectione, & finis, quem spectat, opus meritò malum judicetur. Deum verò omnino respectum alium habere, declarationem nim. gloriæ suæ & justitiæ in reprobis, justitiæ in electis.

6. Obiicis † exempla eorum, qui partim majoris boni conservandi aut acquirendi, partim mali fugiendi vel avertendi gratia, sæpe mala fecerunt?

7. Verum † 1. distinguas inter bonum honestum, utile, & jucundum, sicut & inter malum turpe, noxium, & molestum. Malum turpe (quod innuimus) nunquam faciendum, ut inde eveniat bonum, quale quale etiam sit: malum verò noxiū & molestum interdum majoris boni gratia suscipi potest. Stultus esset mercator, qui ut vitam salvaret, merces ejicere nollet: Stultus viator, qui redimendæ vitæ gratia latroni pecuniam denegaret. Et hoc vult illa Damasceni distinctio, quam habet l. 4. O. F. cap. 20. p. 381. qua distinguit malum in τῆ φύσει & sua natura malum, quod quia virtuti & voluntati divinæ contrariatur, nunquam faciendum, (aliàs malum morale, seu Ethicum, virtuti oppositum dicitur:) & in τὸ πρὸς τὴν ἡμέτερον αἰσθητικὸν κακὸν, quod sensui & corpori nostro est ingratum

&

& contrarium, quod sane majoris boni gratia interdum suscipi posse non negaverim: Quocirca laudatur factum Zopyri, C. Mutii, laudantur martyres, qui tribulationes, mala & ignominias, ob prestantius bonum subire nulli dubitarunt, ceu notum est.

2. Separes † velim actionem spontaneam ab invita. Malum 8.
spontè nunquam faciendum: invitè tamen interdum perferre & concedere malum suadet salus publica. Sic Magistratus interdum, (invitus licet) cogitur concedere seditionem *ob conservandum saluum totum corpus politicum*, &c. Sic si nullum aliud ali- quod elabendi medium vitæ servandæ tibi in promptu fuerit, licebit omnino, quod aliàs sponte non licet, *ob defensionem tui, adversarium*, (NB. si aliter res componi nequeat:) interficere. Neq; hoc factum malum aut homicidium, sed bonum & defensio sui, quod in eo non proximi interfectio, sed tui defensio, quæ in presenti casu illam necessario presupponit (omnibus enim naturâ implantatum, ut vitam propriam conservent) attendatur. Sed ad alia.

Quæstio VIII.

An magis excessus quàm defectus in vitijs vitandus?

PAUCIS † capis multa. In nonnullis tolerabilior defectus: 1.
in nonnullis verò excessus.

Defectus † quia omne nimium naturæ inimicum, 2. quia de- 2.
fectus facilius corrigitur, & mitius punitur: non enim in tantum puniuntur peccata omissionis, quàm peccata commissionis. Gravius sane est Pastori alapam impingere, quàm eidem prætereunti honorem, apertione capitis &c. non habere. 3. quia in plerisque defectus magis accedit ad medium, quàm excessus. v. g. in temperantia &c.

Excessus † autem in illis, in quibus ad defectum natura su- 3.
mus procliviores v. g. quia ad timiditatem magis à natura proni sumus, quàm ad audaciam; audacia magis commendatur, magis quippe Reip. utilis, & facilius corrigibilis, quàm fortitudinem, quàm timiditas. Sed vid. Arist. 2. Eth. 8. & 9. Cicero de Orat: Isocr. ad Nicocl. Sit adhuc quæstio unica.

Quæ.

Quæstio IX.

*An homo ab initio creatus fuerit à Deo
justus & sanctus?*

1. **A**ffirm. † 1. quia conditus fuit ad imaginem Dei, *Gen. 1. v. 7.*
& 26. *Sap. 2. v. 29.* Ergo sicut Deus sanctus; ita & hom. *Vid.*
B. Hunnium. tom. 1. disp. Marpurg. disp. 6.
2. 2. Quia † factus est rectus *Eccles. 7. v. 30.*
3. 3. Adde † *Eph. 4. à v. 27. ad Coloss. 3. à v. 8.* Hinc collige: Si con-
ditus fuit homo in justitia. Ergo & justus. Omne enim dici requirit
inesse. 2. Si justitia per novam vitam instauranda. Ergo antè ad-
fuit & c. Nunc subsistamus.

DEO JUBILATIO.



Ornatisfimo, doctissimoq;
Dn. Respondenti.

PLebs malè sana suos mensurat **TEMPORE MORES,**
(Infana infani certè mensura popelli)
Cui **QUANTUM** mensura **BONI** est, & regula vitæ,
Hi *numero* mihi sunt, *numerus* quèis regula morum:
Sed valeant: sapiunt, me iudice, rectius isti,
Optima quèis **RATIO** mensura est unica morum,
(O mensurato mensura æqualis ubique!)
Verè etenim *summum* mensura æquabilis *imi*,
Sic Rationalis Ratio bona regula vitæ.

Ergò agè jure tibi cape sic suffragia nostra,
Qui non mensuras *numero* vel *tempore* mores
Sed *Ratione* magis, quæ ponderat omnia *rectè*.
Hanc serves mentem; sic experieris: *Ab annis*
Non regier mores, potius sed moribus annos.

gratulatur

Michaël Barbarossa Lubecensis Saxo.



Christliche doctrine

von Martin Luthero

1543

Wittenberg

Druck bey der Buchdruckerey

der Stadt Wittenberg

in der Vorstadt

gegen die Kirche

gegenüber dem Thore

gegen die Mauer

gegen die Stadt

gegen die Burg

gegen die Festung

gegen die Bastion

gegen die Citadelle

gegen die Fortification

gegen die Artillerie

gegen die Infanterie

gegen die Cavallerie

gegen die Artillerie

gegen die Infanterie

gegen die Cavallerie




05 A 1397

ULB Halle

3


003 778 07X



VD 17







33

ENNEAS
Quæstionum illustrium
ETHICARUM
DE VIRTUTE
MORALI in genere.

Quam

Θεοῦ εὐλογεῖν.

Præside

M. GEORGIO OBERLA,

Plavio-Voitlando, Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ in alma Leucorea Adjuncto:

Dominis suis Collegis placidè ventilandam exhibet

GEORGIUS VENATORIUS,
Uthin. Holsatus.

Horis locoque solitis ad diem 24. Januar.

Ambrosius super Lucam.

Non virtus est, non posse peccare, sed nolle: atque ita te-
nere perseverantiam voluntatis, ut voluntas, infantiam:
usus imitetur naturam.

WITTEBERGÆ.

Typis Johanni Richteri, Anno M. DC. XVI.